



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm  
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

**Mayer, Christian**

**Coloniæ Agrippinæ, 1635**

3. De immensa magnitudine beatitudinis gloriosi coporis Christi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

III. Quanto humilitatis, gratitudinis, exultationis excessu Christus ipse, tantam gloriæ sibi collatæ supereminentiam sic à totâ cœlesti curia suspici extolliq; conspiciens, vt in vitâ mortali consueuerat, æterno Patri omnes sibi communicatas gratiæ & gloriæ prærogatiuas acceptas referat, illum auctorem omnium grato animo recognoscat, laudet, amet, & glorificet; simulq; ab omnibus sic eundem agnoscere, laudari, amari & glorificari exoptet: idque eò eminentius, quò perfectius magnitudinem gloriæ suæ & diuinæ liberalitatis erga se perspicit: quò tenerius, & diuinius Patrem amat, & zelosius eius honorem præpagari desiderat. Zelus imitandi Christum in humilitate, gratitudine, amore & zelo gloriæ Dei in hac vitâ, vt continuare feliciter eisdem affectus merearis in futura.

III. *De immensa magnitudine beatitudinis gloriosi corporis Christi Domini.*

I. **E**Xpende, quàm immensa, sublimis & ineffabilis sit gloria & beatitudo glorificati corporis Christi, quàm omnes gloriosorum corporum, omnium vnquam glorificandorum dotes, cla-



claritatem, imparibilitatem, subtilitatem, agilitatem, omnia omnium & singulorum sensuum liquidissima gaudia in excellentissimo gradu in se comprehendit, longissimeq; excedit. Supereminetia porro huius gloriæ, 1. inde potest æstimari, quod cū Christus sit verus Filius Dei, & corpus eius hypostaticè vnitum sit verbo diuino, talis ac tanta eius fuerit gloria, quæ deceret Vnigenitum Patris, iuxta illud: *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi* Ioan. 1. *vnigeniti à Patre.* quam dignum ergo, ut ipse sit in omnibus, *primatum tenens?* Coloss. 1. 2. Colligi potest ex infinitate meritorum Christi, quæ fuere per omnia infinita, 1. ratione suppositi, seu personæ infinitæ operantis, 2. ratione infinitæ gratiæ, in esse gratiæ, quæ erat in Christo. 3. ratione supereminetissimorum operum, quæ pro gloria Patris fecit, iuxta illud: *Ego, quæ placita sunt ei,* Ioan. 8. *facio semper.* Et si enim non omnia fecit, nec passus est re ipsa, quæ pro gloria Dei fieri & tolerari possent; voluntate tamen efficaci Patri se obtulit ad omnia faciendâ & patiendâ, si ita ei placeret, quæ omnes in æternum facere & pati possent.

Quam immensum ergo debebatur

B b 3

præ.



præmium, gloria videlicet corporis (cùm gloriam animæ gratis acceptam nō decuerit eum mereri) quæ proinde tanta erit, vt omnem superet mensuram. 3. Ex infinito amore Patris erga Filium sibi obedientem factum vsque ad mortem. Si enim inimici ex odio diuinum filij corpus tam atrociter excruciarunt, quàm eminenter illud Pater glorificarit, præsertim cum odientium vires essent finitæ, amantis infinitæ? Congratulatio, gratiarum actio, zelus multa ardua faciendi & pariendi pro Christo, vt eum gloriosum olim intueri merearis.

II. Quàm admirabundi hanc tantam corporis eius gloriam Angelici spiritus & iustorum cœtus suspexerint, æternumque suspiciant, maximè post generalem resurrectionem omnes saluandi, non solum illuminatis beatificatæ mentis, sed etiàm glorificati corporis oculis? quàm exultabundi de tanta eius pulchritudine Christo regi suo congratulati fuerint, æternumque gratulentur, conspicati totam cœlestem Ierusalem mirificè claritate eius illuminari, iuxta illud: *Et ciuitas non eget sole, neque luna, vt luceant in ea, nam claritas Dei illuminauit eam, & lucer-*

*Apoc. 21.*



na eius est agnus? Quanto tripudio ad diuinas laudes concinendas se inuicem excitarint, excitentque æternum: *Apoc. 19.*  
*Laudem dicite Deo nostro omnes serui eius, pusilli & magni Alleluia. Quoniã regnavit Dominus Deus noster, omnipotens, gaudeamus & exultemus, & demus gloriam ei; quia venerunt nuptia agni? Quid non faciendum & ferendum tibi foret pro gloria Christi, vt merearis his lætantium choris æternum sociari? Affectus ijdem ferè renouandi.*

III. Quanta humilitate, reuerentiã, gratitudine, amore, zelo diuinæ gloriæ. Christus ipse hanc tantã corporis sui claritatem æternum intuens, æterno Patri æternas referat gratias, ipsi eam acceptam ferendo, ipsum, ceu fontem omnium charismatum, magnificando, & ab omnibus magnificari cupiendo. Zelus in his affectibus humilitatis, gratitudinis, amoris, zeli Christum æmulandi in tempore, vt cum illo continuare eosdem merearis in æternitate.